

**Dissertatio medica inauguralis, sive Apologia pro medicina empirica :  
Quam, annuente summo numine ex auctoritate magnifici rectoris, D.  
Davidis van Royen / Eruditorum examini submittit Samuel Musgrave,  
Anglus.**

### **Contributors**

Musgrave, Samuel, 1732-1780.  
Royen, David van, 1727-1799.  
Luchtmans, Samuel, -1780  
Luchtmans, Johannes, active 1750-1807  
Rijksuniversiteit te Leiden.

### **Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Sam. et Joh. Luchtmans, 1763.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hqckreca>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
SIVE  
APOLOGIA  
PRO  
MEDICINA EMPIRICA.

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE

*Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,*

D. DAVIDIS VAN ROYEN,

MEDIC. DOCTORIS, NEC NON BOTANICES IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS  
ORDINARIJ,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, &  
Nobilissime FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,


Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis  
rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum Examini submittit*

SAMUEL MUSGRAVE,  
ANGLUS,

Soc. Reg. Lond. Socius.

*Ad diem 6. Junii MDCCLXIII. H. L. Q. S.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud SAM. ET JOH. LUCHTMANS, 1763.

Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30418409>

V I R O C L A R I S S I M O

BERNARDO SIEGFRIEDO ALBINO, M. D

ANATOMES, CHIRURGIÆ ET MEDICINÆ  
IN ACADEMIA LEIDENSI PROFESSORI  
PROMOTORI SUO HONORATISSIMO

S. P. D.

S A M U E L M U S G R A V E.



*unquam ita æquitati hominum diffusus sum,  
Albine Illustrissime, ut liberam veritatis  
professionem, in quæstione præsertim phi-  
losophicâ, invidiæ & offensionum metu refugiendam esse  
arbitrarer. Etenim si tanta quorundam perversitas atque  
imprudencia est, ut recepta jamdudum dogmata nullo  
modo impugnari ferant, saltem morbi istius labes Viros  
doctrinâ & ingenio excellentes, qui ex se potius quam*

## D E D I C A T I O

*ex præceptorum dictatis sapiunt , Tui denique similes , non tangit. Quod & olim judicavi , & nuper , cum Te de hac meâ disputatione consulerem , expertus sum. Negabas enim hanc studiorum Academicorum legem esse , ut ad certam aliquam normam omnium sententiæ componerentur ; nihil prohibere aiebas , quo minùs in medium proferrentur quantumvis paradoxa , quæ ad cujuslibet scientiæ illustrationem pertinerent ; postremò institutum meum adeò non improbas , ut etiam , quæ Tua est humanitas , laudares. Quæ omnia eo disertius commemoro , quo magis necessarium videtur , adversus contumelias & dicteria , quæ in novatores conjici solent , Tuâ me auctoritate munire. Quis enim vel argumenti novitatem reprehendat , quam Tu utilitate com-*  
*pen-*

D E D I C A T I O.

*pensari putes, vel scriptoris fastidiat obscuritatem, quam Tu, tantus Vir, non aspernatus sis? Atque hinc multa reticeo ex quibus facile esset Tuam de totâ hac quæstione sententiam perspicere; quæ si asferrem, magnum haud dubiè præjudicium apud eruditissimum quemque & sapientissimum facerent. Nihilominus re- primo me, cum quòd inverecundum foret ante tem- pus divulgare, quæ aptiùs ex Te cognoscerentur; tum quòd veritatis causa non fautorum claritate, sed rationum momentis tuenda est. Interea, de Be- nevolentia Tuâ, totque propensissimæ in me volunta- tis indiciis, quid dicam, aut quomodo gratias agam, nescio; ne aut temeritatis arguar, si hæc tanquam assensionis Tuæ pignus interpreter, aut arrogantia, si mihi potiùs, quam causæ a me defensæ accepta re-*

D E D I C A T I O.

*feram. Utcunque sit, grato certè memorique animo  
non excident. Vale, Vir Egregie, meque inter cul-  
tores Tuos devinctissimos & devotissimos numera. Da-  
bam Leidæ Calendis Junii. Anno MDCCLXIII.*

D I S-



DISSERTATIO MEDICA  
 INAUGURALIS:  
 SIVE,  
 APOLOGIA  
 PRO  
 MEDICINA EMPIRICA.



Supervacua mihi semper atque inanis  
 visa est controversia, inter Medicos  
 jam olim agitata, utra potior Me-  
 dicinæ faciendæ ratio sit, Theoreti-  
 ca an Empirica. Nam si Theoretici  
 abditas morborum causas, quod sanè  
 profitentur, revera perspectas habent, neque specie ve-  
 ritatis decipiuntur, non est dubitandum, quin tam ac-  
 curata corporis humani cognitio magnam subinde lu-  
 A cem



cem medentibus præbitura sit. Contra, si Doctrina eorum suspicioni obnoxia sit, neque phænomenis, quantum satis est, conveniat, ecquis utile medicinæ putet, nedum verò necessarium, quod aut manifestò falsum, aut jure suspectum sit? Itaque caput quæstionis est, an ulla adhuc prodita sit Theoria, cujus veritas aut certa, aut probabiliter explicata sit; quo rite dijudicato facillimum de altero iudicium est. Quæ cum mihi persuasa essent, animoque inhærerent, nunquam me admodùm commovebant, quæ a Theoreticæ rationis fautoribus jactabantur; cæcam fore atque ancipitem Medicinam, nisi Theoriam aliquam, velut Ducem, sequatur. Priùs enim de Duce quærendum putavi, satisne oculatus esset & locorum gnarus; duplex quippe periculum esse, si, ut nonnullis accidit, cæcum cæcus adhibuissim. Neque magno pere, credo, hortandi sunt æqui eruditique lectores, ut eundem quoque animum ad hanc quæstionem exentiendam afferant, nec priùs de genere Theoretico pronuncient, quam de singulis Theoriis quid statuendum sit, diligentius mecum perpenderint.

Sed erunt fortasse, qui me, Veterum & Recentiorum Theorias refellere aggredientem, pene infiniti laboris onus suscepisse existiment, quod tamen multò levius & tolerabilius est, quam videtur. Etenim, quæ

ab initio artis ad nostrum usque seculum suffragia hominum partitæ sunt, pleræque neglectæ jacent, nec ullos jam sectatores inveniunt; quas proinde, cum nemo defenderit, stultum foret magno conatu impugnare. Quamobrem breviter his, quæ exoleverunt, percursis, ad reliquas vigentes adhuc celebratasque festinabo. Et primùm quidem de Hippocratis doctrinâ non constare videtur, utrùm morbos a sanguinis, bilis, pituitæ denique excessu & acrimoniâ deducat, an a spirituum, id est, aëris actione eos, quos nominavi, humores corrumpenti; adeo nihil in eâ explicatum aut morborum phænomenis accommodatum est. Post Hippocratem deinde Erasistratus, cum sanguinem venis, arteriis verò aërem contineri statuisset, inflammationem effici putabat, & ex eâ porrò febrim, quoties sanguis in vasa, aëri destinata, transiret; de quo minimè necessarium est apud eos differere, qui arteriarum usum ex Harveii inventis didicere. Jam, ut Asclepiadem paullisper mittamus, quid Methodicis absurdius, qui Theoriam neque, ut falsam, repudiarunt, neque strenuè, ut veram, amplexi sunt, sed utramque rationem miscendo corruperunt? Quibus ætate inferiores Pneumatici in singulis morbis diversum spirituum genus accusabant, quod nihil utique aliud est, nisi rei ignotæ nomen speciosum præten-

dere. Quid Galenus, qui siccitatis & humiditatis, caloris & frigoris velut æquilibrium in corpore constituit, eoque pereunte, valetudinem labefactari existimat? Num Theoriæ hujus simplicitatem curationum quoque simplicitate æquare potuit? Inter recentiores porrò Sylvius, qui nullam morborum causam, præter aciditatem, agnoscit, nonne ab omnibus, qui doctrinam ejus vel obiter commemorant, ridetur? Quanquam æquè ridiculus est, meo judicio, Willisius, qui medicinam ad certas leges exigens, principium systematis fecit spirituum ataxiam, id est, rem omnium incertissimam, nullisque omnino legibus obtemperantem. Atque hæc quidem Theoriæ, cum per modicum temporis spatium floruisent, aliarum ortu aut incremento extinctæ sunt. Quæ verò ex irritabili corporis naturâ ante aliquot annos deduci cœpta est, propriâ, ut videtur, debilitate, etiam in cunis interiit.

Omnino, ex tanto systematum numero, non plura duobus sunt, quæ recentioris Philosophiæ lucem sustinere potuerunt; quorum alterum ex metaphysicæ penetralibus depromptum est, alterum certis & perspicuis mechanicæ principiis se tuetur. De his igitur fusiùs & uberiùs differemus, & primùm quidem de eo, quod ex animæ naturâ & actione Stahlus Germanus concinnavit.

Du-

Duæ ergo, si Stahlium audimus, in corpore humano propensiones sunt; altera, quâ ad putredinem & corruptionem tendimus, ab elementari corporis mixtione oriunda; altera verò, ab animâ, corporis incolâ, profecta, quâ ad sanitatem & vitam vindicamur. Propagatur autem animæ vis a cerebro ad extrema corporis per nervos, quorum actio si quovis modo impeditur, morbos subsequi necesse est. Morborum præcipua causa est, sanguis præter modum abundans, spissiorque sensim factus, unde animæ vis retardatur, ne corpori liberè & quantum satis est, prospiciat. Ergo, ut sanguinis copiam minuat, simulque lentorem etiam frangat, varia moliri solet Anima, velut hæmorrhagias, sudores, diarrhœas, calorem febrilem & similia. Sed in his remediis adhibendis perturbatur aliquando animæ conatus, ut vel acrior justo sit vel remissior. Interdum etiam symptomata, quæ corpori purgando & a morbis liberando plerumque inserviunt, a morbi ipsius vehementiâ inducuntur; quod cum fit, diversam curationem postulant (a).

Habes, Lector, compendium doctrinæ Stahlianæ; quæ, ut veram esse concedamus, Theoriæ usum non præ-

(a) Stahl. Patholog. Pars 1. Gen. Sect. 5.

præstat, neque adeo nomen tam honorificum mereri videtur. Quid enim docere debet Theoria, aut quam maximè ob causam a Medicis adsumitur? Nimirum, quod ad Medicinam attinet, eadem planè hominum conditio est, ut si aliquem fingamus, qui horologium exquisitissimum nactus, nihil aliud desideret, nisi ut integrum maneat, motûsque æquabilitatem conservet. Huic igitur, unum illud spectanti, quid motum generet, sive elateris actio, sive plumbi gravitas sit, non admodum scire profuerit, nisi sciat etiam, quæ impedimenta turbare soleant, quo faciliùs aut tollat præsentia, aut venientibus occurrat. Quod in medicinâ quoque necessarium esse viderunt omnes, præter Stahlium, Theoretici; morborumque adeo causas, non sanitatis, explicare properarunt. Quemadmodum sunt inter alios, qui ab alcalino vel acido liquorum statu valetudinem corrumpi existimant; quorum utrumvis, si verum esset, expeditissimam curandi rationem ostenderet. Diversam ab istis viam ingressus est Stahlius. Multis contendit, animam vitæ & sanitatis conservatricem esse; cujusmodi autem sint, quæ sanitati officiant, negligenter admodum & jejunè explicat.

Sed hæc ne ad invidiam dici putentur, paucis confirmanda sunt. Ex morborum igitur causis primam facit conatum quendam ad putredinem, ipsis corporis

ris

ris elementis a naturâ adjunctum. Verùm cum huic ex Hypothesi opponatur æquipollens animæ actio, pro nihilo planè habendus est, siquidem, ex Physicorum axiomate, potentiarum æqualium actio contraria nullum effectum generat. Quare, hoc seposito, totum systematis pondus in causas auxiliatrices delabitur, id est, in sanguinis copiam & lentorem, a quibus vim animæ conservatricem retundi quodammodo & suffocari contendit. Jam, ut extra controversiam verum est, multa corporis mala his sanguinis conditionibus originem & incrementum debere, ita pariter constat alia, & fortasse plura esse, quæ ex radice diversâ pullulant. Nondum compertum est Tertianas, Dysenterias, Exanthemata cujuscunque generis, plethoricos sæpiùs, quam alios, invadere; contra verò Hydrops, Phthisis, Febres denique putridæ, nunquam magis formidari solent, quam cum sanguis tenuior solito & dilutior factus est. Plethoræ igitur efficaciam partem duntaxat morborum complectente, Theoriam Stahlianam imperfectam esse apparet, nullâ quippe reliquis causâ attributâ, nisi eas excipias, morbosas potius affectiones, quam morbos, quæ ad animæ actionem referuntur.

Sed, ut dixi, in Theoriæ Stahlianæ explicatione multò minùs de morborum causis, quam de animâ, disputatur: eam scilicet conatum corporis ad putredinem

con-

contrario conatu reprimere; neque hoc solum, sed cum occasio exigit, ultra solitum commovere se, superfluaque humorum copiam, sibi utique obstituram, vel per calores febriles digerere, vel per hæmorrhagias, sudores, diarrhœas, e corpore ejicere. De quâ doctrinâ primò videbimus, an in medicinâ faciendâ multum lucis præbitura sit. Enimverò fatetur Stahlius, animam aliquando, aut præ debilitate, aut quia intùs perturbatur, non satis gnaviter morborum depulsionem moliri; aliquando etiam nimis contendere, atque ultra scopum jaculari; postremò symptomata graviora morbi potius vehementiæ, (*b*) quam animæ actioni imputanda esse: quare non semper naturæ permittendum esse, ut quo cœpit passu, progrediatur; nam & fræna interdum injicienda esse, & calcar quoque addendum. Esto: sed ut hoc rite fiat, canonem desideramus, perspicuè docentem, cùm quid morbo, non animæ, debeatur, tùm de animâ quoque, num acriùs justo vel remissiùs, an contra strenuè prudenterque opus in singulis ægris aggrediatur. At dixerit fortasse aliquis: quæcunque febres excretioneseve, nec valdè corpus debilitant, nec magnam ei molestiam creant, animæ con-

(*b*) p. 474. Sect. minor. 9. p. 490. Sect. min. 4.

consilio excitantur, adeoque non temere inhibendæ sunt; cæteræ, quæ modum excedunt, vel a causæ morbosæ vehementiâ inducuntur, vel ab animâ turbatâ & sui non compote. Id si responderint Stahliani, quod unum respondere possunt, non injucundum erit, rationibus subductis, videre, quantum ex totâ hac Theoriâ lucremur. Docemur utique excretiones immodicas, febresque vehementiores moderandas esse; quis ignoravit? easdem, quoties temperatæ sunt, corpus purgare, saniusque in posterum reddere; quis dubitavit? nonnunquam, ubi scilicet animæ conatus deficit, provocandas ultro & proliciendas esse: quis non Medicorum prolicere tentavit? Magno beneficio Medicinam affecisset Stahlius, si quomodo hæc in omni ægro fieri possent, ostendisset: fieri debere notissimum erat, saltem non adeo ignotum, ut per tot libros diffundi, tantoque verborum apparatu explicari necesse esset.

Haftenus de doctrinæ Stahlianæ utilitate; nunc ut quæstionem, si fieri potest, conficiamus, ne illud quidem quærere refugiemus, quod omnium difficillimum est, utrùm & quo sensu animæ morborum depulsio tribuenda sit. Quod ut clariùs perspiciatur, non inutile erit in sano priùs corpore, quod animæ munus, quale imperium sit, cognoscere. De fœtu igitur, ut



ab initio rem repetamus, dubitari non potest, quin causæ intra ovum positæ incrementum & formam debeat, non, ut suspicari aliquis posset, materni sanguinis propulsioni, tenera ejus vasa dilatanti, novamque indies materiem apponenti. Etenim arteriarum uterinarum vis sanguinem ultra cellulas placentæ non promovet, qui inde postea per venam umbilicalem absorbetur, atque, ut ita dicam, exfugitur. Quod duo maximè argumenta declarant; primò, quòd liquores per arterias uterinas injecti ad venam umbilicalem non perveniunt; secundò, quòd funiculo umbilicali discisso, ab eâ parte, quæ ex utero propendet, non adeo magnum sanguinis profluvium in plerisque saltem feminis esse solet. Atque hinc porro intelligitur, cur inter matrem & fœtum tantum nonnunquam sit obesitatis & gracilitatis discrimen, cum vel mater emaciata grandem & robustum infantem edat, vel contra habitior exsuccum & debilem. Quare est, ut dixi, certissimum, incrementum & formationem fœtus ab ipso fœtu proficisci; quem si quis, Harveium imitatus, sui domicilii fabrum esse dixerit, non magnopere repugnem, modo ea metaphora ad operam fabri, non ad artem & solertiam, referatur. Nam si quis animam fœtûs hæc omnia ratione & consilio administrare putet, divinâ quippe prudentiâ instructam, næ illum

ex-

explicare oportet, cur tam multi hydrocephalo laborantes, aut imperforati, aut alio modo monstrosi, spirituique trahendo inhabiles, in lucem edantur. Contra, si animæ tribuere hæc pergat, quanquam non ratione & consilio, sed necessariò agenti, quod vim aliam, necessitatis causam, desiderat; ea profectò ejusmodi actio est, ut cum manus invita aut emortua, sed ab aliâ manu gubernata, literarum formas aut aliud quidvis in chartâ describit. Atque hic non ignoro tantum harum rerum obscuritatem esse, ut omnem pene animi aciem contentionemque eludant. Verùm, si ulla clarior reliquis perceptio est, si ullum fiduciæ in hujusmodi quæstionibus usurpandæ tempus est, tum profectò est, cum negamus aliquid verum esse, non affirmamus. Quamobrem non vereor, quæ superius dixi, iterare, & velut certa proponere, non externam neque mechanicam vim esse, quæ corpus fabricetur, deinde verò rationis & consilii expertem esse. Ex quo efficitur esse in viventibus vim aliquam diversæ ab utraque naturæ, quæ necessariò, id est, secundùm leges a Deo constitutas, nobis autem ignotas, operetur; quam si quis animam appellare velit, saltem cavere debet, ne in eâ voce adhibendâ intellectûs & judicii notionem admisceat.

Jam, hanc tertiam vim, nec mechanicæ legibus, nec

mentis imperio parentem, nihil melius illustrat, quam fibrarum muscularium natura. Nemo ignorat musculos obsequentissimos humanæ voluntatis ministros esse; jussa ejus promptissimè & capeffere, & exequi; quoties motus aut continui aut repetiti desiderantur, non cessare, quanquam aliud agente dominâ, nec donec missionem acceperint, quieti se tradere; denique, si quidquam omnino in corpore, hos certè in mentis potestate esse. Nihilominus hi, tam fideles plerumque famuli, ubi causa irritans accesserit, non modo nutum voluntatis non expectant, sed & eâ repugnante contrahuntur. Quemadmodum fieri videmus, quando osficulum, vel aliud quidvis acuminatum in Oesophago hæret. Pharyngis enim & Oesophagi musculis indefinenter comprimitur; unde sævissimus dolor, quem nemo non evitare percupiat. Similiterque in tussiendo quantos nonnunquam cruciatus patimur, quos facile esset sedare, si musculos respiratorios dociles semper morigerosque haberemus? Quid? quod musculi auris internæ, quique Tubam Eustachianam aëri exeunti, ut putatur, aperiunt, Iridis porrò fibræ musculares, nullum animi imperium agnoscere videntur, sed a solâ irritatione gubernantur? De quâ facultate irritabili cum tam luculenter in præclaris Halleri commentariis differatur, supervacuum esset plura dicere. Quare hoc  
con-

contentus ero animadvertisse ; si muscoli , præsertim ii , quos natura mentis humanæ satellites esse voluit , aliam vim insitam atque ingenitam habent , quâ certas actiones sine mentis consensu obeunt , quanto id de corde , visceribus , glandulis verisimilius est , quæ a mentis imperio regi nullum indicium est ? Ubi non contendo , vim quæ cordis contractionem , vermicularem intestinorum motum , secretiones denique glandulares efficit , irritationis similem esse ; quod etsi multis credibile videtur , non ausim affirmare : illud tantum dico , videri mihi cum musculos , tum verò viscera & partes glandulares , potestatem insitam habere , quâ certos effectus Physicè & sine mentis interventu edunt.

De his autem , cum in promptu sit certior transigendi ratio , non necesse est ad conjecturas & suspiciones confugere. Etenim Stahlianos alterutrum dicere oportet ; vel , quod nobis videtur , cordis contractionem , secretiones glandulares , & quæcunque alia ejusmodi sunt , physicè & necessariò fieri ; vel quod ipsi obscuriùs significant , a libero mentis actu , cujus tamen nullam conscientiam aut memoriam habemus , pendere ; quando inter ea quæ liberè , quæque necessariò fiunt , nihil tertium intercedere aut intelligi potest. Sed ut aliquid a mentis actu pendeat , necesse

est ut mens, primò agendi vel non agendi optionem habeat, deinde ut tempora & modos agendi ipsa per se disponat & constituat. Jam igitur, si hæc omnia menti concedimus, non ineptè quæri potest, cur tam sæpe a corporis conservandi scopo aberret. Velut, si cordis contractionem regit, cur non rariùs debiliùsque contrahi jubeat, cum arteria discissa aut dilatata est; si alvi dejectiones efficit, cur non reprimat, cum exitium minantur; si urinam in renibus secernit, cur succos etiam nutritios, in iis qui Diabete laborant; si in febribus excitandis corporis tantùm purgationem spectat, cur in Phthificis quoque accendat; si nixus parturientium ciet, cur vehementissimos esse faciat, cum caput infantis utero inclusum & constrictum detinetur. Meritò gravissimus Auctor, Heisterus, naturam, tanquam impotentem quandoque & infidam, accusat; atque is unâ tantùm re permotus, scilicet quòd placentam non semper ex utero puerperarum excutiat; quanto magis accusare potuisset, si non modo de inertia ejus, sed de intempestiva quoque & noxia sedulitate occasionem differendi habuisset?

Quomodo igitur hæc & similia solvunt Stahliani? Nempe aiunt, quæ intempestivè in corpore fiunt, quæque modum excedunt, vel non omni-

no ab animâ (c), vel ab animâ certè perturbatâ, excitari. Quæ eorum distinctio si legitima censetur, nihil in posterum facilius erit, quam systematum in omni parte Philosophiæ concinnatio, modo cuivis liberum sit, phænomena quæ suis opinionibus conveniunt, seligere, cætera vero, ad aliam eamque ignotam causam rejicere. Quare hoc iis, salvis Philosophiæ legibus, concedi non potest. Majorem speciem habet, quod in hanc partem disputari solet, potestatem animæ in iis clarissimè cerni, quæ corpori, ex perturbatione ejus, superveniunt. Utique non desunt exempla, ubi ventriculum cibus mediocriter plenum aliquid præter spem visum aut auditum ita turbaverit, ut non modo digestionem perficere nequiret, sed & omnia, quæ intus erant, evomere cogeretur; eodem fere modo, quo canes illi (d), quibus octavi paris nervi a Valsalvâ constricti fuisse memorantur. Atque hinc colligunt multi, non modo, quod facile concesserim, digestionis Theoriam ex conjunctâ humiditatis, caloris, & putredinis vi repetitam, longè a vero abesse, quando interdum, his omnibus manentibus, digestionis tamen  
opus

(c) Patholog. Sect. Gen. 3. Membr. 1. vid. etiam p. 490. Sect. min. 4.

(d) Morgagni Epist. Anatom. 12. S. 28. 29.

opus non procedit; verùm etiam, quod firmiora certè argumenta desiderat, cibi resolutionem solius animæ vi gubernari & perfici. Verùm hoc exemplo non contenti, alia multa commemorant, quæ corpus a subitâ animi commotione perpeti solet; velut deliquia, musculorum paralyfes, menstrui fluxûs suppressiones, hysterica etiam urinæ profluvia; quæ omnia ita interpretantur, quasi anima, attoniti instar, officii sui oblivisceretur, neque vim vitalem ad omnes corporis partes transmittere curaret; aliter enim explicari non posse, quomodo a terrore, re scilicet incorporeâ, quæque intellectu tantùm percipitur, tales effectus edantur. Quæ etsi primo intuitu satis probabilia videntur, facilis tamen responsio est; longè aliud esse, animam sanam facultates corporeas moderari, easque pro libitu intendere vel seigniores facere; aliud, ægram & commotam turbare. Est ea inter corpus & animam consensus & fœdus, ut alterum graviter affectum non rarò malum cum altero, quodcunque est, communicet; qualem etiam communionem inter diversas corporis partes obtinere compertum est. Itaque non modo animæ affectiones, cordis, viscerum, glandularum, actionem turbant, sed aliquando etiam ventriculus, concoctione non rite peractâ, aliquando materies perspirabilis, a frigore retro pulsa; denique partes membra-

branosaë, cum aut vulnerataë, aut a causa internâ inflammantur. Quibus cum nemo imperium in corporeas facultates tribuat, non video cur animæ, similes turbas excitanti, tribuere debeat. Imo, si hoc jure fieri putatur, pari ratione colligi posset, animam corpori, quin vesicæ quoque aut utero parere, siquidem & ab urinæ suppressione & a menstruis retentis intellectûs quoque statum labefactari novimus.

Jam illud satis, credo, Lector intelligit, si vis quâ actiones vitales peraguntur, physicè & necessario agit, non magis eam posse præscriptum naturæ ordinem deferere, & sine causæ cujuscunque ope hæmorrhagiam, aut diarrhœam, aut febrim efficere, quam velum, nullo vento impulsum, navigium in mari movere. Ex quo sequitur, non modo, quod Stahlia placet, vehementiora corporis mala, verùm etiam leviora, quæ spem melioris in posterum valetudinis faciunt, causæ physicæ, non intellectuali, tribuenda esse; licet qualis ea sit, & quomodo agat, ignoretur. Quid? quod symptomata, quæ Stahlia animæ vindicant, a causis physicis nonnunquam induci constat; vomitum, puta, a Tartaro Emetico; Febrim a vini potatione; Hæmorrhagias a vehementi solis ardore; Ulcera denique a labis Venereæ contagione? Num igitur ad animam & vim conservatricem hæc quoque



referri placet? Sin hoc nemo defendere aufit, cur non in aliis quoque, hoc genere malorum laborantibus, suspicari licet, aliquid in ventriculo, in visceribus, in sanguine sensim accumulatum esse, quod Tartari Emetici ad ventriculum irritandum, quod crapulæ ad febrim accendendam, vim habuerit; quod venarum oscula aperire, quod ulcera, quanquam non venerea, creare potuerit? Neque dispar sudorum sponte nascentium, aut alvi profluviorum ratio est. Quibus explicandis quid necesse est novum causarum genus comminisci, animamque actionibus, quarum se consciam esse negat, præficere, quando similes effectus a causis materialibus edi constat? Aut quid minùs consentaneum est, quam Stahlianos, qui gravissima quæque symptomata ad morbi vim referunt, idem in levioribus malis, febriculâ puta aut narium hæmorrhagiâ, non faciendum putare?

Quid igitur? Vis illa, viventium corpori ingenita, quâ, ut dixi, actiones vitales peraguntur, nihilne ad morbos depellendos confert? Duplex huic quæstioni pro diverso ejus sensu responsio est. Nam si de certo hujus vis temperamento quæritur, cum nec justo languidior est, nec ultra modum inrenditur, nemo negaverit maximum ejus in sanitate restituendâ momentum esse; interdum quoque solam & sine medicinæ  
ope

ope sufficere. Contra, si moderatior ejus status non seorsim spectandus, sed generatim de totâ re pronunciandum est, videtur, quoniam multa morborum genera exasperat, non absurdè vento comparari posse, qui navim, & cum portum ingressura est, propellit, & cum rectâ in scopulum defertur. Stahlii igitur Theoria, cujus unicus fere scopus est, hanc vim, mutato nomine, celebrare, perinde medenti utilis est, ac si quis Nauticæ artem docens, multis ostenderit venti impulsu naves ad portum pervenire, nihil interea de clavo regendo, aut velis explicandis colligendisque præcipiens.

Evasit jam oratio ex pathologiæ Stahlianæ tenebris, clarius, quod restat argumenti, amœniusque habitura. Etenim Mechanicorum Theoria, de quâ secundo loco differendum erat, ut non sit verior naturæque convenientior, planior certè disertiorque est alterâ. Mechanicorum Theoriam dico, quæ morbos effici statuit, quoties sanguinis & humorum circuitus, quo vita contineri putatur, in quacunque parte corporis aut retardatur, aut omnino subsistit; quod ubi accidit, obstructio vocatur. A quâ sententiâ non valdè alienum videtur, quod ab Asclepiade, Ciceronis æquali & familiari, disputatum est: manantia corpuscula per invisibilia foramina subsistendo iter clau-

dere ; eamque morborum originem esse. Sed hæc opinio , studiosè tum a summo atque eloquentissimo Viro defensa , insequentibus seculis , aut deserta , aut a paucis admodùm probata est ; plerisque ad Themisonis aut Galeni placita desciscitentibus. Tandem , sub exitum seculi superioris , cum Mechanica rerum naturalium explicationi adhiberi cœpisset , idque in multis feliciter procederet , magnamque novæ huic philosophiæ admirationem peperisset , extitere inter alios , qui iisdem quoque legibus medicinam subicerent , nec ullum in corpore humano vitium agnoscerent , nisi quod a canalium obstructione oreretur. Quorum opinioni viam quodammodo muniebat vulgatus eodem seculo sanguinis circuitus , cujus initium & finem cum vivendi terminis convenire videntes , facile existimabant unum hoc ad vitam sanitatemque desiderari , omnesque corporis noxas ab impedito fluidorum transitu repetendas esse. Itaque velut impetu facto in eam sententiam itum est ; maximè postquam cæteris ejus fautoribus Boerhaavii quoque ingenium accessit. Hic enim , cum esset mediæ peritiâ instructissimus , summamque in Theoriâ hac illustrandâ curam posuisset , omnes facile , nisi qui Stahlîo se addixerant , abripuit ; obtinuitque illico , ut Bellinîo & Pitcairnio posthabitis , princeps inter Medicinæ Ratio-

na-

nalis Doctores, imo unicus fere Doctor haberetur. Quam ob causam mirum videri non debet, si in hac parte disputationis, missis reliquis, quorum obscurius nomen minorque inter Theoreticos auctoritas est, ex hujus tanti viri scriptis Mechanicorum doctrinam æstimem.

Sed in Aphorismis Boerhaavii legendis, qui quidem libellus totius Theoriæ summarium est, facile alicui in mentem venerit, Doctissimum Auctorem, alias morborum causas, præter obstructionem canalium, constituisse. Etenim in ipso operis ingressu, nullâ adhuc obstructionis injectâ mentione, de morbis simplicis fibræ differit, quorum duo genera ponit, laxitatem & rigorem. Progreditur mox ad vasa minima & majora; viscerum deinde conditiones, debilitatis scilicet & nimiae tensionis exponit; addit morbos ab acido, ab alcalini spontanei & glutinis excessu. Nulla, ne nunc quidem, Obstructionis enarratio; neque sanè in morbis, quorum sedes vel in liquoribus solis, vel in solidis constituitur, ullus obstructioni locus esse videtur, quæ quidem composita affectio est, ex relatione inter partes solidas & liquidas oriunda. Verùm, qui scopum & ordinem disputationis diligenter introspicit, statim, opinor, videbit eas solidorum & liquidorum depravationes non tanquam simpliciter noxias poni,

sed quatenus tantum obstructioni generandæ inserviunt; fibram scilicet rigidam, non ideo nocere quia rigida est, sed quia liquorum propulsioni nimis resistit; similiterque humores acidos non propter acorem peccare, sed quia sanguinem coagulant, saltem circulo corporis obeundo, vasculisque permeandis inhabilem reddunt. Manet ergo, secundum Boerhaavium, commune illud Mechanicæ sectæ principium, proximam morborum causam semper in Obstructione quærendam esse. Quare caput hoc & velut fundamentum totius Theoriæ existimandum est; quod si labefactare contigerit, corruant necesse est, quæcunque ei inædificata sunt: quæ propterea non persequemur, sed ipsum, ut dixi, fundamentum aggrediemur.

Atque hîc non contendimus, neque probare conamur, nullum corporis malum a simplici obstructione pendere. Nimis recondita morborum natura, nimis varia & multiplex conditio est, quam ut ita de universis pronunciare audeamus. Quare id tantum agimus, ut multa ægritudinum genera, eaque non ex rarioribus, sed vulgò hominum vitam infestantia, a causarum mechanicarum actione sejungamus, atque ita paullatim, aliâ post aliam parte recisâ, regnum Obstructionis minuamus. Et primùm quidem numerosa morborum familia est, quæ vel per tactum, vel aëris  
mi-

ministerio nares pulmonesque intrantis, ab ægro in sanum propagetur. In tali igitur corpore, quod halitus hujusmodi morbificos diffundit, aliquid sit necesse est, præter meram obstructionem mechanicam, quæ non magis ab homine in hominem, quam ab horologio in horologium transferri posset. Deinde halitus istos, quorum tanta subtilitas tenuitasque est, ut nec oculis pateant, nec tactu percipiantur, quomodo credibile est in vasculis, liquorem transmittentibus, hæere, obstructionemque ibi novam inchoare? Quid quod morbi, contagione suscepti, non omnes eandem formam induunt, nec tamen quælibet symptomata temere adsciscunt, sed, velut animalium lege generati, similitudinem quandam ejus mali, a quo semen diditum est, repræsentant? Quod aliter fieri oporteret, si causis mechanicis parerent, a quibus alienissima est hæc symptomatum ad typum præscriptum conformatio. Itaque fateri necesse est, Variolas, Morbillos, Luem, Febres denique Epidemicas, nullo modo ab Obstructione aut causis mechanicis proficisci.

Febres porrò haud pauca sunt, in quibus calor quidem vehemens est, sed per totum corpus æquabiliter diffusus, adeo ut nulla pars præ cæteris dolorem aut molestiam sentiat. In hoc igitur genere, quas tandem partes Obstructioni inveniemus, quæ nisi  
cer-

certâ fede consistat, nulla est, neque omnino intelligi potest? Nemo enim, arbitror, dicturus est, in omnibus simul venulis vasculisque sanguinis retardatum & impeditum esse transitum; quod si unquam fieret, suffocari illico vitam penitusque extinguere necesse est. Atque illud præterea animadvertendum est, nonnullas harum Februm tum demum solvi, sanitatique concedere, postquam dolor acutus & inflammatio, unam aliquam partem obsidens, magnamque vim humorum eaversus derivans, abscessum, qui dicitur, generavit. Ubi non Febris Obstructionem, sed Obstructio Febrim secuta est: aut quid dico, secuta est? quæ adeo non malo nutrimentum aut vires suppeditat, ut certissimum ejus promptissimumque remedium sit. Quare & hi quoque morbi mechanicarum causarum imperio eximendi sunt.

Eadem, nec minus perspicua est, Exanthematum Febrilium causa; quorum curatio, ut a Boerhaavio etiam traditur, mechanicorum principiis apertè repugnat. Sed Virum Eximium audiamus. Exanthemata, inquit, pro materie habent aliquid, quod minima vascula cutanea transire non potest, sed ibidem hæret. Esto sanè. His igitur Obstructionibus tollendis ut quodque aptissimum est, ita optimè morbo, juxta Theoriam, occurret. Jam nihil facilius erat, quam  
tu-

tumorem & ruborem cutis, pustularumque elevationem iteratâ venæsectione compescere. Sed hoc, licet Theoriæ convenientissimum, ne Boerhaavius quidem audet suadere; adeo infelix ea curatio planèque lethifera esse deprehenditur. Quam igitur medendi viam proponit? Eam nempe, quam usus & experientia, non Theoreticæ rationes commendant, ut tenuis liquoris copia, donec sponte deferbuerit morbus, ad sudores excitandos ingeratur: id quod Boerhaavius vocat, materiem, quæ in vasculis cutaneis hæret, mobilem servare. Quo quidem exemplo intelligere licet, etiam in falsâ Theoriâ praxin egregiam esse posse; Medicis nimirum, ubi exitus curationis doctrinæ eorum adversatur, ita Theoriam detorquentibus, ut non deseruisse eam, sed ab eâ ad praxin deducti esse videantur.

Quid quod ulcera etiam & tumores inflammatorii, in quibus tanta obstructæ circulationis indicia sunt, clarissimè tamen ostendunt obstructionem eam comitem vel effectum mali esse, non causam? Etenim si hujusmodi vitia ab impedito liquorum transitu penderent, nullum utique in restituendo hoc transitu, id est, in discutiendâ inflammatione vel ulcere sanando periculum esset. Quod contra esse experientia declarat. Nihil enim notius, quam ubi hoc imprudenter



& intempestivè factum fit, renovari malum in aliâ corporis parte, vel etiam in pulmones atque intima vitæ penetralia derivari: prout Arthriticis inter alios non rarò accidit. Neque hoc mechanicè fieri putandum est. Quid enim absurdius, quam vasorum constrictionem ab aliâ parte in aliam, tam rapidè præfertim, transferri? Nam quod ad liquorum spissitudinem attinet, nullum hîc locum habere potest, cum hujusmodi metastases in corporibus infirmis & dilutiore sanguinis statu haud paullo frequentius quam in plethoricis contingant.

Jam in Rachitide, Scorbuto, Hydrope aliisque frigidioribus morbis, licet seignis plerumque & languida sit circulatio, obstructa esse nullo modo potest. Quis enim obstructioni locus, ubi solidorum fibræ adeo laxæ & debiles sunt, ut vasa circulatoria ne justâ quidem vi constringant; fluida verò adeo tenuia & aquosa, ut citius per tunicas ipsas vasorum exsudent, quam in canalibus hæreant. Itaque liquorum congestiones, quæ in hujusmodi morbis fiunt, a vis vitalis defectu, non ab obstructione, repetendæ sunt. Ne quis enim erret; non est Obstructio, siquando fluida, propter imminutam propellendi aut absorbendi facultatem, stagnare contigerit; nisi forte horologium obstructum vocamus, cum elater ablatus est, aut molam velarem

rem, cum auræ deficiunt. Quod si quis has, quoad effectum, obstructions esse contenderit, meminisse tamen debet, nos de causis tantum morborum disputare: obstructions verò, quibus hydropici & scorbutici laborant, siquidem ita dicendæ sunt, non antecedere malum, sed ejus aut nati jam, aut etiam adulti, indicium esse.

Quoniam verò certissima omnium & simplicissima obstructio est, quæ vasis comprimendis ligandisve efficitur, age videamus, quid, hoc factò, accidere soleat, quo facilius de obstructionum in morbis generandis efficaciam judicemus. Enimvero si ligatura aut compressio ejusmodi sit, ut fibras sensibiles lædat, non est dubitandum quin, pro doloris magnitudine, inflammationem vel gangrænam illatura sit. At si hoc idem certâ ratione fiat, ita ut nullus vel parum acutus doloris sensus excitetur, nihil aliud mali attrahere solet, nisi partis, in quâ liquorum transitus intercipitur, torporem; qui proinde legitimus atque unicus obstructionis effectus censendus est. Atque hoc quidem clarè ostendunt impostores nonnulli, in triviis mendicantes, qui brachium fasciis tam arctè constringunt, ut dimidio minus, quam antea, imo aridum & exsangue appareat; nec tamen ullum gravius incommodum hinc sentiunt, tot millibus vasorum compressis, tan-

tâque morâ circulationi injectâ, quantam a causis internis fieri vix credibile est. Sed fuerit hæc canalium duntaxat minutiorum compressio. Quid, ubi Arteria Brachialis, non spernendæ magnitudinis vas, propter Aneurysmum ligatur, num symptomata tristia esse solent, aut ullo modo Theoreticorum Tragœdiis respondentia? Quod si tam ferax malorum esset obstructio, in Carotide certè periculofissima esse deberet: tradit tamen Morgagnus (*e*), canem, cui Valsalva utramque Carotidem arctissimè constrinxerat, duos & viginti dies supervixisse, diutiùs victurum, nisi, re satis spectatâ, dissectioni subjectus esset. Quamobrem, cum magnæ obstructiones facile & sine ullo fanitatis damno tolerantur, nullo modo credibile est, tot morborum procellas, tantas facultatum depravationes, a minutiorum canalium obstructione, quæ plerumque ne sentiatur quidem, oriri. Etenim si natura, grandiori vase occluso, promptè tamen circulationem restituit, quidni hoc idem faciat, & multo quidem citiùs, quando extremos arteriarum ramusculos, in quibus & minor sanguinis copia, & tardior impetus, plura denique diverticula sunt, inferciri contingit?

Cæ-

(*e*) Epist. Anatom. 13. S. 30.

Cæterùm totum hunc de Obstructione errorem aut peperisse videtur, aut confirmasse, temere concepta opinio, quod vitam dicimus, nihil aliud esse nisi debitam humorum in corpore circulationem. Sed enim circulatio a vitâ, & cogitatione separabilis est, & re aliquando separatur. Et primùm quidem in Polypis, qui, corde destituti, sine ullâ, ut videtur, circulatione vitam sustinent: discissi certè, postquam orbis canalium, si quis antea fuerat, sublatus est, singulas partes tam vivaces habent, ut ex iis totidem nova animalia, tanquam arbores ex furculis, nascantur. Idemque docet experimentum in ranâ a Gerardo Swietenio, Medico Nobilissimo, institutum, quod mihi J. N. S. Allamandus, Vir non minùs ingenii elegantia, quam doctrinæ varietate & subtilitate spectatus, hìc Leidæ degenti narravit; nonnihil diversum ab eo quod in *Vindiciis Difficultatum* (f) commemorat Vir acutissimus, Antonius de Haen. Swietenius igitur, referente Allamando, cum ranæ cor aperuisset, tantam vim argenti vivi per Aortam infudit, ut omnem corporis partem, etiam corneæ vascula, fluido ponderosissimo impleverit; quo factò, non emori,

non

(f) p. 124.

non torpere, non quiescere animal, sed pristinam agilitatem fervare, sed saltuatim aliquandiu per cubiculum discurrere. Postremò, ut ad Homines jam veniamus, quoties compertum est, aquâ submersos, pulmonibus compressis, & sanguinis circuitum prohibentibus, non continuò vitale principium amittere, sed movendi & sentiendi facultatem post longum fatigis intervallum recipere? Atque hoc scio foramini ovali non integrè occluso a plerisque tribui; sed difficile est credere rem tam rarò in dissectionibus visam, in tam multis locum habere. Verùm de hoc exemplo, si quis aliter sentiat, non est quod acriter pugnemus. Omnem enim dubitationem eximit, quod ab Haenio, magni nominis Medico, scriptore autem accuratissimo, narratur (g): Cor in duobus mortuis adeo rigidum inventum fuisse, ut a longo tempore contrahi non potuisse non incertâ conjecturâ creditum sit; imo extitisse, qui vitam sine ullo fere sanguine, nedum circulante, producerent. Ex quo intelligitur, si vita liquorum circuitu non continetur, frustra esse, qui corpus humanum machinæ comparant, multoque magis, qui omnia morborum genera

ex

(g) Vindiciæ Difficult. p. 232 — 4.

ex ejus machinæ obstructione provenire censent.

Quibus omnibus cum liquidò constet Boerhaavium æquè ac Stahlianum in causis morborum indagandis operam perdidisse, quid utique restat, donec meliora ab aliis & certiora proferantur, nisi ut penitus ignotas esse statuamus? Ubi non negamus, quorundam morborum originem crassè quidem & imperfectè cognosci, cognosci tamen: velut cum dicimus ebrietatem, aut vehemens exercitium, aut intempestivam frigidæ potationem huic vel illi febrim peperisse. Sed longè aliud multoque subtilius est, quod Theoretici profitentur, parumque iis videtur, causas hujusmodi evidentes invenisse, quod vulgaris & quotidianæ solertiæ esse putant, nisi explicare possis, quomodo vinum in fibras corporis humani agat, quidve in liquoribus cerebroque operetur, denique nisi causarum & effectuum seriem, totumque febris generandæ progressum perfectè calleas. Hæc autem scientia est, quam Theoreticos falsò sibi vindicare existimo, cum in iis morbis quorum initium & occasio patet, tum multo magis, ubi malum spontaneum est, ut in Febris haud paucis, maximâque parte Chronicorum. Quamobrem, si verum esset, quod Theoreticos jactare audimus, morbos curari, nisi causâ intellectâ, non posse, omnibus omnino ægris abjicienda

da esset salutis recuperandæ spes , siquidem qui maximè hanc scientiam possidere se putant , nullo modo veritatem assecuti sunt , sed erroris manifesti tenentur. Verùm meliùs haud paullo benigniùsque cum genere humano actum est. Habemus enim Ducem fidum & paratum , Experientiam , quæ in omni fere ægritudine remedia suppeditat , quorum probata & testata est in similibus exemplis utilitas. Experientiam autem dico , non eam tantùm quam quisque sibi usu medendi comparavit , sed quodcunque etiam Practicorum lectione , aut viri periti testimonio addiscitur : quod quidem genus Historiæ nomine a veteribus Empiricis honestatum est. Hujus igitur Magistræ qui præcepta rite cognoverit , fideliterque sequatur , non magnopere , opinor , Theoreticorum subsidiis indigebit.

Sed huic nostræ disputationi haud dubito fore , qui aliis rationibus destituti , Boerhaavii famam opponent , neque omnino sibi persuaderi patientur , Virum in morbis internoscendis sagacissimum , nec minùs in curandis felicem , id quod multi etiamnum superstites testari possunt , talem , inquam , Virum falsam Theoriam condidisse , atque in ipsis principiis fontibusque , ut putantur , praxeos , errasse. Verùm nihil certius est , quam medendi peritiam & felicitatem nullo modo a doctrinæ veritate pendere , alterumque ab altero se-

junctum

junctum sæpissimè inveniri. Non defuere ante Boerhaavium, imo cunctis fere seculis atque in omni non barbarâ gente reperti sunt, qui ægrotantibus promptè efficaciterque succurrerent; iique, non unius tantùm scholæ, sed partim Methodici, partim Galenici, Sylvii quoque & Willisii sectatores, quorum Theoriæ cum valdè diversæ sint, erroneas esse aut omnes, aut omnes præter unam, necesse est. Unde igitur contigisse dicemus, ut in tot factiones distracti, singulique cum singulis de causis morborum pugnantes, medicinam nihilominus omnes non pœnitendo successu exercerent? Nimirum ipsi illi, quotquot erant, Systematum conditores haud dubiè, quod in scholis defenderant, inter ægrotantium lectos deferere coacti sunt; sive Theoreticam rationem, cum in usum vocanda esset, nimis intricatam & difficilem experti, sive experientiæ monitis in magno discrimine refragari non ausi. Quod etiam ad Boerhaavium transferri potest; qui si ægrorum saluti promptiùs aliis certiùsque consuluit, non profectò id Theoriæ præstantiâ affecutus est, sed quòd morborum historias exitumque exquisitissimè calleret, essetque adeo optimus & peritissimus Empiricorum.

Atque hìc existiment fortasse multi, quia dogmatum falsitas medendi solertiam non tollit, planè inno-



cuum esse quemlibet de medicinæ principiis errorem, frustra que refelli opiniones, quæ, sermonibus tantum celebratæ, in arte exercendâ negliguntur. Qui non solum considerare debent, quid Theoreticorum nonnullis ingenium & prudentia, usus denique medendi suggererit, verum etiam quid credibile sit imprudentes atque incautos facere, quam perversè atque ineptè curationes instituere, ut Theoriæ præceptis obsequantur. Quemadmodum inter populares meos fuisse accepi, qui in omnibus morbis spiritum & salem cornu cervi, nec quidquam præterea, adhibuerit; alium verò, qui argenti vivi deglutitionem ad sanitatem conservandam efficacissimam esse prædicaret. Quippe morborum causam haud dubiè in obstructionibus ponebant, nec quidquam simplicius inveniebant, quam vel dissolvere eas penetrantissimo sale, vel metalli ponderosissimi impulsu percurrere. Sed ut horum incogitantiam mittamus; nonne suspicari licet, prudentes alioqui viros, cum iudicium de novis aut parùm cognitis remediis ferendum est, Theoriæ studio a veritate nonnunquam abduci? imo, non aliquot præcipitantiae hujus exempla in Medicinæ annalibus commemorantur? Postremò, ad discendi saltem facilitatem haud parùm interest, utrum quis rectà ad propositum eat, an per ambages difficilis & tortuosæ

Theo-

Theoriæ circumducatur ; nihilque miserius est , quam magno labore , multisque vigiliis scientiam comparasse , quæ postea , ubi ad rerum tractationem accedas , tota dediscenda est.

Quoniam verò Empiricæ rationis fautorem me professus sum , imprimis cavendum arbitror , ne quis eam , vocis ambiguitate deceptus , cum agyrtarum & circulatorum temeritate confundat. Duplex scilicet Empiricorum genus est ; unum , quod nomina tantum morborum sectatur , quæ cum undecunque extuderit , continuò remedia , quæ isti morbo convenire dicuntur , sine ullo judicio aut delectu ingerit. Atque hoc quidem sensu qui rectè Empirici dicuntur , haud immeritò a prudentioribus impostores & homicidæ audiunt. Sed altera illa ratio , quam sequi me profiteor , quamque oratione defendendam suscepi , etsi in hujus infamiæ societatem aliquando venerit , tantum a priori distat , quantum aut labor ab inertia , aut eruditio ab ignorantia , aut cura denique a temeritate sejungitur. Primò enim , nullam doctrinæ partem , quæ quidem veræ & certæ lucis aliquid præbeat , negligendam censet , maximum verò Medicæ scientiæ fontem in historiis morborum curationumque constituit. Eas igitur studiosè perlustrat , atque ita , ut in unoquoque genere eum symptomatum varieta-

tes, tùm accessionem, statum, remissionem distinguat: simulque methodum, quæ in singulis profuerit, diligenter notet. Medicamina accuratè intelligi vult, cum omnibus adhibendi cautionibus: Anatomiam quoque ad phænomena morborum aliquatenus illustranda, non ad causam declarandam, assumit. Postremò, in remediis eligendis symptomatum naturam, ægrotantis habitum & ætatem, anni tempestatem, aliæque ejusmodi perpendit, nomine autem morbi duci se aut commoveri non patitur. Atque hæc demum vera Empirice est (nisi Practicam dicere malis) cujus se sectatorem professus est, maximum in Medicinâ nomen, Sydenhamus; quam etiam Theoretici hætenus laudant (*b*), ut secundum ei locum post suam quisque Theoriam concedant; unde primum quoque haud dubiè prudentissimi cujusque suffragio obtinebit.

Jam, si quis, morborum causas ignorari adhuc audiens, ex eo dubitare incipiat, utrùm ulla Medicinæ ars sit, facile erit eam suspicionem, vel medicorum illustrium exemplis, vel aliis argumentis minuire. Etenim negari non potest, quin in omnibus morbis, qui curationem recipiunt, certa ratio sit certumque ægro-

(*b*) Boerhaav. Institut. n. 19.

ægotantium regimen , quo fervato , citiùs conualescunt , quam si contraria omnia fecerint. Quid igitur Medicum impedit , licet causam mali ignoraverit , hanc tamen rationem tenere , atque ita corpus affectum , si non sanare , aptissimè saltem ad sanitatem recipiendam disponere. Atque hoc quanti momenti fit , cùm alia innumera , tùm vel maximè Variolæ declarant ; quæ olim , remediis calidis irritatæ , planè horrendam stragem edere consueverant , postquam verò Sydenhamus tractandi viam aperuit , multum sævitix illius feritatisque amiserunt. Similiterque in Anginâ malignâ , quæ ante viginti fere annos per Europam diffundi cœpit , qui venæsectione & purgantibus , ut prima ratio ferebat , curati sunt , ad unum interiire ; quibus autem vires , ut postea factum est , myrrhatis potionibus & cortice peruviano reficiebantur , paucis exceptis fervati sunt. Nunquam tamen audivi morbi causam ab iis qui hoc prodidere , aut alio quoquam , detectam esse : Sydenhamum certè constat , nihil tale sibi arrogasse , contentumque variolosæ labis effectus temperasse , naturam ejus Philosophis investigandam reliquisse.

Neque mirum videri debet Medicinam , Theoriâ destitutam , in quamplurimis tamen morbis finem propositum attingere. Non videmus plebeios homines ,

ligonique addictos, flores, olera, arbuscula feliciter curare? ferendi, propagandi, colendi tempus & rationem tenere? quid foli augeat vel minuat fertilitatem, quid singulis vegetantibus profit vel noceat, quæ umbrâ delectentur, quæ ab Euris protegenda sint, multa que porro alia accuratè intelligere? Quis tamen eorum, quid plantarum alimentum constituat, quomodo e terrâ hauriatur, quâ vi fibrarum recentium teneritatem ad justam magnitudinem dilatet, hæc, inquam, & similia, quæ ne Eruditi quidem satis expediunt, quis unquam Hortulanus aut didicit aut cogitavit? Quisve in arte exercendâ Philosophiæ præcepta, non Experimentiæ secutus est? Sciunt igitur, quid vegetantium natura postulet, qui natura ea, qualis sit & quomodo nutriatur, explicare nequeunt; num pejorem Animalium conditionem putamus, ut quæ iis conveniunt, eadem ratione inveniri non possint? Aut Medicorum doctrinæ negamus, quod rustici, literarum rudes, Experimentiâ duce, affecuti sunt?

Esse revera Medicinæ artem, sublatâ Theoriâ, ostendimus: nunc, ne illiberalis forte habeatur, ad experientiam omnia referens, etiam honori ejus & dignitati prospiciemus. Quid enim est, quod artem quamcunque ignobilem & inhonestam facit? Nempe

si rerum paucarum minimèque obscurarum scientiâ continetur, adeoque non multa discendi subsidia postulat, omniumque fortunæ & diligentiae patet; deinde si in eâ exercendâ nulla vis aut celeritas ingenii, judicandive solertia apparet. Quorum quid est, quod in Medicinam, etiam Empiricam, cadit? Primò, quæ ab Alumnis suis exigit, ut tot morborum historias, tot simplicium & mixtorum vires, tot Anatomiae minutias, tam accuratè ediscant, num exiguo doctrinae apparatu contenta est? Subtilitate autem ingenii quomodo carere potest, cui necesse est, propositâ ægritudine qualibet, brevissimo temporis spatio, quod genus morbi, quid præcipuum symptoma & cæterorum velut radix sit, deinde quomodo tollendum aut mitigandum sit, invenire. Atque hac quidem acuminis & solertiae laude multo inferior foret Theoretica ratio, siquidem ulla esset quæ nomen hoc mereretur, neque adeo honoris gradum, qui Empiricæ debetur, ullo modo attingere posset. Etenim in vitâ videmus, quæcunque artes ad certa præcepta, certumque canonem exiguntur, faciliùs cum vulgo communicari, omninoque viliores esse iis, quæ ingenii præstantiâ nituntur. Etiam Pictura & Poësis, quæ in postremo hoc genere nobilissimæ fere habentur, statum honoris, quem nunc obtinent, haud dubiè amitterent, si  
quis

quis methodum Philosophicam harum facultatum comparandarum ostenderit. Imperatoriæ quoque artes, quibus nihil gloriosius est, quo loco futuræ videntur, si bellorum exitus calculi Arithmetici necessitate regeretur? Nempe magnum existimari non posset, quod Mathematicus, ex umbrâ Scholasticâ prodiens, aut æquè cum Imperatore, aut melius etiam præstiffet. Quamobrem parùm sapienter Medicinæ consulunt, qui eam ad Theoriæ normam revocant; unde consequens esset, nihil ingenium valere, scientiâ & memoriâ omnia, quæ ad medendum utilia sunt, contineri.

Facile interea concedam, si quis, divino numine adjutus, certam & perspicuam Theoriam condiderit, quâ, velut acu Nauticâ, cursus Medicinæ per mare procellosissimum regeretur, nullo modo id beneficium repudiandum esse, nec Empiricæ adhærendum, postquam melior ratio reperta esset. Aliud, omnino aliud est hujus disputationis propositum. Negat hoc uspiam factum esse; negat naturam tam lauté usibus humanis providisse; falsa esse contendit, quæ Theoriæ nomine honestata sunt. Quamobrem iis, qui veræ Medicinæ studiosi sunt, nihil reliquum esse affirmat, nisi, ut veterem illam Nauticam, quæ ante pyxidis inventionem fuit, imitentur; nimirum, ut stellarum

ortum & occasum, procellarum imminentium indicia, litorum quoque posituram accuratissimè ante omnia ediscant; deinde ut in altum delati, eo majorem cautionem adhibeant, quo fallaciorem cœli faciem, artemque incertiore[m] esse sciunt.

F I N I S.



T H E-



# T H E S E S.

## I.

*Nullò argumento probatur sanguinem magis in pulmonibus, quam in reliquo corpore atteri.*

## I I.

*Incrementum corporis humani, postquam & formatum & in lucem editum est, ex Mechanicæ principiis explicari non potest.*

## I I I.

*Venæsectionis in pede suspecta utilitas, incommoda certa sunt.*

## I V.

*Dentium dolores ab Ophthalmiis aliisque topicis inflammationibus situ tantùm differunt, non curatione.*